



I. N. 7.



Miseram Astrologorum gentem cum vanis suis vaticiniis in scenam producturi, non respicimus illud Hieronymi Cardani, (a) Medici Mediolanensis, Viri ut ut doctissimi, in re tamen divinatoriâ, cum reliquo haruspicum cœtu, ejusdem furfuris. Hic pro ea, quâ apud Astrologos pollet, dictatoriâ potestate, in publicum scribere non erubuit: *Stulti negligunt & contemnunt Astrologiam, qui contradicit, ambitiosus est; qui maledicit, fatuus.* Quam nimis acerbè hic Astrologorum Præsul in saniores & dissentientes invehat, nilque minus quam doctè de doctis & doctioribus differat, uniuscujusque judicio relinquimus. Sanè magis arridet divi Origenis (b) eloquium: *Si quis vestrâ Mathematicorum deliramenta sectatur, in terra Chaldaorum est. Si quis Nativitatis diem supputat, & variis horarum momentorumque rationibus credens hoc dogma suscipit, quia stella taliter ac taliter figurata faciunt homines luxuriosos, adulteros, castos, aut certe quodcumque eorum, in terra Chaldaorum est. Jam quidam existimant ex astrorum cursibus Christianos fieri.* Cardanum talem esse, ex ejus scriptis Astrologicis clarius est, quam quod clarissimum. Infano enim in hæc studia amore eum captum fuisse, quis nescit? Et stellarum vires malignas (ex mente Astrologorum loquor) in cerebrum ejus irfluxisse meritò dixeris. Evolvat tantummodo, qui velit, librum de propria vita (c) conscriptum, in quo animi sui constellationem à se ita delineatam inveniet, ut qui vel nulla Astrologices cognitione imbutus est, ipsum tunc temporis ineptuisse, aliis de Astrologia, ceu par est, sentientibus facile demonstrari possit. Sed cur immoramur Cardano ejusque vanitatibus? Gravissimos præcedentium seculorum, qui ridiculam hanc artem felici successu oppugnarunt, Scriptores si consulimus, ad nauseam usque Astrologorum levia & omni fundamento destituta argumenta ibi expugnata, & in nihilum planè redacta esse videmus. Imo longo jam tempore prudentiores

A 2

tiores

(a) Aphor. Astrolog. Segm. I. aph. 24. (b) Homilia III. in Jerem. (c) Qui cum præfatione ex Biblioth. Gabriel. Naudæi prodiit Amstelodami an. 1654.